


NOBILISSIMO CLARISSIMOQVE VIRO D. DOMINO LVDOVICO LE FEVRE IN SVPREMA CVRIA SENATORI INTEGERRIMO DOM. DE BOISSETTE, &c. LANCELOTVS DE FRADE ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ.

QVAM videmus in te confirmatam animi praſtantiam, quam contemplamur corporis elegantiam, eam à teneris ætatis tuæ annis futuram talem prædixeram, obſeruabam enim perfectam membrorum ſyntaxin; meditabar optimam humorum craſin cum ingenij fœcunditate & facilitate ita coniunctam, vt nihil æquè corporis & animæ mutuam ſympathiam oſtenderet, nihil æquè (niſi robur per imbecillam ætatem defuiſſet) vtriuſque conſenſum & conſpirationem, in perficiendis rerum pene diuinarum munijs, demonſtraret. Quicquid virium deerat illâ ætate id temporum lapſus abundè ſuppeditauit. Hinc admiratur ſenatus omnium celeberrimus, in quo tamquam ſydus lucidiſſimum emicas; experitur, & in dies magis magiſque experietur Gallia, quæ te nacta eſt acerrimum ſacræ Themidis defenſorem. Valebit igitur noſtra, de animæ & corporis mutuâ ſympathiâ, facta propoſitio, hanc rationibus e ſinu tuarum virtutum depromptis comprobabimus, exemplo tuo illuſtrabimus, authoritatis tuæ patrocinio tuebimur. Si quid operæ & laboris contulerim in dirigendis, quò natura impellebat, animi tui probis moribus, & literarum ſtudiis, mutua ſympathia poſtulat, vt per beneuolentiam tuam, me in hac iatricâ pugnâ confirmes. Præfui director virtutibus tuis increſcentibus, prefulgebis ſol menti meæ titubanti, & lucis veritatem indaganti; ſic durabit æternus, iſque reciprocus amoris tui erga me, obſequij mei erga te, conſenſus. Vale.

AD QVODLIBETARIAM.

QVAESTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IM SHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXII. FEBRVARII. M. SIMONE LE LETIER DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An corporis & animæ mutua sympathia?

CADVCORVM & æternorum particeps, mixtorum viuentiúmque omnium princeps homo, vniuersi nodus & copula, disparibus naturis corpore & anima constat rationali : hæc nostri pars melior, nobilior, Angelicæ suppar essentiæ θύραθεν adueniens, morbi lethíque secura, non ecstasi, sed morte à corpore diuidua sola formarum, à quo vegetans & sentiens ἀχώριστοι, par in puero ac sene in Thersite ac Socrate, in viro ac muliere: Actus est corporis humani organici potestate vitam habentis, cuius societatem non deserit nisi perfidia nouitatis auidæ materiæ, malefici principij malignitate, cum eo enim sic iungitur & adunatur informando, vt vbique tota sit omnibus suis facultatibus instructa.

VT Anima rationalis formarum omnium nobilissima, præstantissima, omnium vires sinu suo complectitur, sic organum nacta est actionibus obeundis idoneum, non temerarium, non fortuitum, sed mirabile Dei opificium, quod figurâ in cœlum versá & sese attollente, temperie exquisitâ, partiúmque omnium symmetriâ mirabili, omnibus inferioribus sic præstat vt eorum sit μέτρον & regula: diuinæ particulam auræ, non vt ergastulum includit, non vincit vt mancipium reginam, sed tamquam domicilium excipit, in corpus creando infundi vt certum, sic quo die à conceptu id fiat inquirere, anxij est, & nimium satagentis, vtriusque cœlestis & mortalis essentiæ consortio & societate tanta conspiratione aptæ sunt, & connexæ particulæ, vt mutuis stent auxiliis, vna laborante reliquæ in consensum ducantur, confluant, conspirent, condoleant.

CORPVS animum peruertit & immutat, & anima corpus, humores, spiritus in quibus non est, variè sursum, deorsum impellit. Sanguinis dominatus ad facetias, risus, amores, vitam genialem & hilarem propensos, obtusiùs ratiocinantes efficit. Melancholici succi illuuies meticulosos, taciturnos, contemplatores, propositi tenaces, ad iram tardos, conceptam ægrè deponentes, quidni diuinos? tuta timentes, lucis & hominum osores. Bilis imperium sagacitatem, astutiam in agendo celeritatem ὀξυθυμίαν, beneficiorum & iniuriarum obliuionem infert. Pituita inertes, stupidos, ἀμούσους homines reddit, quibus ἀπὸ τῶν ἔξωθεν iniuriis obnoxium est corpus, eas animæ imprimit: cœlo caliginoso obtusiores sensus, ingenia hebescunt, nitente & innubi aere sensuum & mentis acumen. Formantur & finguntur à Cœlo & Solo mores, morbi infliguntur. Asiatici imbelles, in Septentrionem vergentium, immansueta ingenia, suóque simillima cœlo.

NOTVM est animi mores temperiem corporis comitari, manifestiùs ægrotanti corpori animam condolere: Hinc optandum vt sit mens sana in corpore sano. Systrophica cerebri, meningum, aut diaphragmatis phlegmone, mentem sua sede mouet, quis recensere valet delusæ phantasiæ & deceptæ ab organo, medio, & obiecto deliriorum species: stultorum numerus infinitus, maniaci ferarum more in obuios quosuis intrepidi impetum faciunt, Melancholici hypocondriaci mille modis delirant, qui dolores aliqua parte non sentiunt, his mens ægrotat.

VERVM animæ affectus corporis optimam constitutionem seruant: & mutant vt quisque suos patitur manes & variis pathematis concutitur, diuersos morbos experitur. In morbis & periculis animi præsentia præsens semper remedium: lætitia iucundum, suaui & grato rubore suffusum vultum, tristitia pallidum ingratum, halituosi sanguinis præsentiâ destitutum, diu perseuerans cachexiam & tabem infert: Ex timore & gaudio mors repentina, quæ per iram nusquam. Sub pudore sanguis & humores diffunduntur, ad oculos, aures, lumbi sympathiam non maiorem quàm ad phantasiam habent, cuius ea vis vt imaginantis corpus morbo vel sanitate afficiat, alienum non immutet, studiosis curarum mole oppressis anceps & dubia sanitas: quid plura? mutuis vigent auxiliis corpus & anima, dolent incommodis ob strictam, quæ inter ambo intercedit, vnionem.

Ergo Corporis & animæ mutua sympathia. 175.

Proponebat Lutetiæ LANCELOTVS FRADÆVS MOLINENSIS. A. R. H. M. DCXXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Helias Beda.
M. Franciscus Desfrançois.
M. Ioannes du Cledat.
M. Claudius Quiquebeuf.
M. Thomas Gamare.
M. Antonius Charpentier.
M. Michel Toutain.
M. Simon le Telier. M. R.
M. Simon Basin.